

## XI.

Ex his forsan haud obscure colligas, DEVM in distribuenda salute λόγον συντελεῖν & rationes instituere, atque accurate cognoscere, imo ab aeterno jam cognovisse, quot homines nascendi unquam fuerint usque ad finem seculi ab ejus origine, quos omnes ad vitam aeternam gratiōse ac benignē vocare instituit, & actu in tempore vocavit: quot deinceps ex illis ad Ecclesiam votati comparuerint, & beneficia Spiritualia, verbum ipsius ac sacramenta, nec non redundancia ex illis, bona ineffabilia, qualia sunt remissio peccatorum & justificatio, praecedanea conversione & regeneratione, collata, renovatio & oppignoratio & promissio vitae ipsius aeternae, aliaque cum illis conjuncta, gaudium, pax & tranquillitas spiritualis, perceperint. Sicut enim vocatio generalis, individuali nihilominus virtute gaudens, omnibus hominibus contigit, neque ullus est ex omnibus mortalibus, qui vocatum se non esse, jure queri possit, alioqui ἀναπολόγησις, ad quam Apostolus merito provocat Rom. I, 20. in gentilibus locum non haberet: ita specialis, atque illustribus speciminibus declarata integris populis obtigit, quam etiam acceptarunt, Evangelio praedicato inter ipsos januam & provinciarum & cordium aperuerunt, Apostolosque ac eorum successores instar angelorum Dei, imo ut Christum ipsum suscepserunt. Gal. IV, 14. adeoque multi eorum fuerunt conversi ac regeniti, justificati, renovati atque in eum fidei statum deducti ac positi, ut sola perseverantia ad finem adhuc desiderata fuerit Coloss. II, 5. 6. 7. Pbil. I, 5. 6. 10. 2. Petr. I, 10. Hac ratione filiorum Israel, id est, eorum, qui ad populum Dei, in quo Evangelium recte praedicatur, & ad veram Ecclesiam pertinent, non parvus est numerus, sed si eos omnes computes, prout D E O id facillimum est, nobis vero factu haud possibile, admirandam ejus bonitatem oculis tuis ceras,

B 2

nas,